

quæ dicuntur signa, quarum quælibet imaginamur diuidi in 30. partes æquales, quæ dicuntur gra. qui circulus signorū inclinatus est super dictū circulum æquinoctialis, declinans ab eo uersus septentrionem & uersus meridiem per gra. 23. & minut. 51. secundum opinionē Ptolemæi, secundū uero opinionē Almeonis & modernorū per gra. 23. minut. 33. & secund. 30. Qui duo circuli se intersecant & diuidunt per medietatē æqualiter. Et illa medietas zodiaci, & sex signa quæ sunt uersus polum septentrionalem dicuntur septentrionalia, quæ dicuntur Aries, Thaurus, Gemmini, Cācer, Leo, Virgo. Illa uero medietas zodiaci, & sex signa quæ sunt uersus polum meridionalem, dicuntur meridionalia, quæ dicuntur Libra, Scorpio, Sagittarius, Capricornus, Aquarius et Pisces. Et isti duo circuli, scilicet circulus æquinoctialis, & circulus signorum, mouentur omni die naturali super polis mundi, qui etiā sunt poli prædicti circuli æquinoctialis una reuolutione cōpleta, & parū plus uidelicet, quantū mouetur Sol in una die naturali per proprium motum. Imaginantur etiā aliū duo circuli maiores, uidelicet, circulus horyzon & circulus meridianus. Circulus horyzon est, qui diuidens sphæram mundi in duas medietates, semper separat inter medietatē cœli nobis apparentem, & medietatem cœli nobis occultam. Circulus uero meridianus est qui diuidens sphæram mundi in duas medietates semper separat inter medietatem cœli nobis orientalem & inter medietatem nobis occidentalem, qui duo circuli se intersecant, & diuidunt æqualiter per medium ad angulos rectos sphærales, ex qua interfectione & diuisione totā sphæram mundi imaginamur diuidi in quatuor partes æquales, quarū duæ semp sunt sub terra, & duæ super terram. Et similiter duæ earum semp sunt in parte orientali, & duæ in parte occidētis. Sed cum imaginati fuerimus quòd quelibet prædictarum quartarum sit diuisa in sex partes æquales per circulos maiores transeuntes per loca opposita quartarum oppositarum æqualiter elongatos ab inuicem, sese ab inuicem intersecantes, & cum prædictis duobus circulis, uidelicet, horyzonte & meridiano in duobus punctis, in